



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

I. Pastoris est, suorum miserias subleuare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

le in tuos vsus; vim caue, ne adhibeas,  
neque tumultus excites: hæc si times,  
rem totam defer Episcopo: suffecerit  
tibi te officio functum fuisse.

C A P V T IV.

De Curâ afflictarum ouium, si-  
ue miserabilium personarum.

NVM: I.

*Obligatio iuuandi miseros.*

Sicut in gregē oues afflictæ maio-  
rem, & impensio-rem opem à pa-  
store suo exigunt, vt ouiculæ illæ  
erant apud Ezechielem infirmæ, agro-  
ræ, contractæ, abiectæ: Ita in paro-  
chiis personæ miserabiles; cuiusmodi  
sunt Pauperes, præsertim si infirmi,  
Viduæ, Pupilli, Orphani, incarcerati,  
aliique ab omni auxilio deserti ho-  
mines, atque à potentioribus oppres-  
si, à suis Parochis opem, operamque  
peculiarem deposcunt, singularique  
iure expectant: Nam etsi Christiana  
charitas



charitas hoc officium etiam à cæteris repetat ; meritò tamen Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. de Ref. id propriè à Parochis requirit : *Cum præcepto, inquit, diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, & pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere; Sacrosancta Synodus eos admonet, & adhortatur; ut diuinorum præceptorum memores, gregem suum pascant.*

Inquires igitur diligenter, ( hoc enim primum est ) quænam sint inter tuos personæ miserabiles, id est, quæ commiserationem meritò commoueant, dignæq; sint, quarum miseriam subleues operibus misericordiæ, quæ Christus ipse in Euangelio suis commendat; & sibi ipsi in miseriis exhiberi profitetur; de quibus Lactantius in Epitome Diuinarum Institutionum hæc enumerat: *Si quis, ait, victu indiget, impertiamur; si quis nudus occurrit, vestiamus;*



*stiamus; si quis à potentiore iniuriam sustinet, eruamus: pateat domicilium nostrum vel Peregrinis, vel indigentibus tecto, Pupillis defensio, Viduis Tutela nostra non desit: redimere ab hoste Captiuos, magnum misericordiae opus est; item agros visitare, fouere inopes, aut pauperes: si obiuerint, non patiamur insepultos iacere. Hæc etsi cæteris communia esse debent; singulariter tamen ad te propius spectant, qui hoc munus tibi fecisti proprium, cum suscepisti personam Pastoris.*

## NVM: II.

*Cura Pauperum.*

**Q**Via hoc hominum genus præ cæteris habetur vile, abiectum, & à quibus nihil speretur, vel parum; ut opibus, ita aliorum auxiliis destituuntur: quò fit, ut facile omnium iniuriis pateant, nullòque negotio, præsertim à potentioribus, opprimantur; tum verò maximè, si in ius trahantur: